


Dithmer.

De baccalaureis.

1738.





HENRICI CLEMENTIS DITHMERI  
LVNEBURGENSIS

DE  
**BACCALAVREIS**  
COMMENTATIO



Gb 1625

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.  
MDCCXXXVIII.

HEINRICI CLEMENSIS DITHMERRI  
FANCIUS CLEMENSIS

DR

BACCAVARIE  
COMMENTATIO



LIPSIAE  
CINA FANGENHEIMIANA  
INDEXAKTUM



V I R O  
CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
**LVDOLPHO BERNHARDO**  
**KEMNA**

s.

HENRICVS CLEMENS DITHMERVS.

**T**Andem vero persoluo **TIBI, CLARISSIME**  
**VIR!**, quod dudum debui persoluere, saepe  
etiam volui, sed semper occasione destitutus, in  
aliud tempus reieci. Ex quo enim **TVA** con-  
suetudine, **TV** Oque contubernio vti mihi contigit; fa-  
miliariter **TEcum** viuere incepi. Haec autem animo-  
rum coniunctio, tot officiis mutuo sancita, atque stabilita, non  
vult viriusque conscientia terminari, sed omnium conspectum  
sustinere, et aliis quoque cognoscendam se laudandamque exhi-  
bere. Id gestit nunc animus meus proferre, **TVASque** pree-  
clarissimas virtutes in publico praedicare. Nec aliud hocce  
opportunius eligere potui tempus, quo officio meo satisfaciam;

Iam enim iudice aequissimo ordine sapientum fructum in literiae feliciter capis, et praemia doctrinae aequae ac virtutis laetus deportas. Dignum TE Amplissimus philosophorum ordo iudicauit, ad primos in philosophia honores anno praeterito capessendos, et hodie summos in eadem, magis ex merito, quam more, in TE confert. Quamobrem TIBI istos honores hacce commentatione ex animo gratulor, et magnopere volo, ut fausti felicesque sint, et plura maioraque in dies ornamenta afferrant atque cumulent, et ea demum ampliora etiam nec fallacia praemia subsequantur. Vellem equidem ut digniori opera officium TIBI meum declararem. Verum hasce plagulas TIBI sacrare constitui, ne officium TIBI negare viderer; si in aliud tempus reiicerem. Rogo igitur TE atque obtestor, ut hanc amoris tesseram eo animo accipias, quo scio, TE me ipsum et mea adhuc omnia accepisse. Vale VIR DOCTISSIME, TVAMque impensam voluntatem mihi velis esse perpetuam. Hoc si impetratum a TE fuerit, habebo, et quod mihi gratuler, et quod aeternum TIBI debeam. Dabam Lipsiae d. X. Calend.

Mart. A. O. R. c. L. loco XXXVIII.

## §. I.



uum ea humani ingenii sit conditio, vt nisi praemiis compensetur, et ad paeclarra studia inuitetur, satietate quasi languageat; optime a maioribus nostris iis pae-mia decreta sunt, qui virtutibus aequae ac eruditione ceteros superabant. Te-sta enim Cicerone: Honos alit artes, omnesque gloria ad studia incenduntur.

Hic honos, haec gloria, sunt oblectamenta et deliciae, quibus quasi condimentis mitigantur ea, quae austera sunt in studiis. Ut vero corporis; ita quoque animi exercitationibus pae-mia quaedam honorifica, illustresque titulos proposuerunt ad ae-mulationem et incitamentum virtutis, quos titulos in re scho-lastica gradus appellarunt. Gradus autem vocantur metapho-ricē, quemadmodum enim scalarum gradus ita sunt dispositi, vt alii supremum, alii medium, infimum alii locum occupent; sic quoque academicī gradus comparati sunt, vt quidam sum-mi, nonnulli medii, alii infimi audiant: Et sicut ad summum scalae gradum tendentes eo peruenire non possunt, nisi gradus ascenderint imos: ita qui ad summum academicum gradum ad-spirant, ad illum commode pertingere nequeunt, nisi inferio-res prius scanderint. Et profecto longe maiorem meretur laudem, gradatim ad honores prouehi, et in progressu defectus emendare; quam vno impetu in fastigium ferri, et anxie ibi inter doctos et cum quadam sui dissidentia versari.

## §. II.

Horum graduum academicorum omnibus fere in acade-miis quatuor numerantur, et pro ratione eorum, qui honores ambiunt, in tres classes dispescuntur: ita vt incipientibus Bac-calareatus, proficientibus Magisterium ac Licentia, et denique

perfectis Doctoratus sint proposita. Nostrum institutum iam est de prima dignitate pauca dissērere, et quantum pro modu-  
lo virium nostrarum licebit, de Baccalaureis verba facere.

SCHOL. Quatuor hos gradus vbius fere esse receptos, testatur Iо.  
Christ. Iterus de honoribus academicis Frankf. 1698. 4. Iо. Seldenus de  
titulis honorum Erf. 1696. 4. Christ. Roehrenfee diff. de dignitatibus  
academicis. Barthold. Krakewitz diff. de gradibus et promotionibus  
academ. Gryphisw. 1614. Boet. Epo de honor. acad. titulis insignibus  
eorumque origine Lips. 1727. 8.

### §. III.

Quum itaque de baccalaureis disputamus, ante omnia di-  
cendum nobis esse videtur, quemnam significatum huic voci  
tribuamus: vt inde appareat, quid sit illud, de quo disputetur.  
Baccalaureus igitur nobis est ille litterarum cultor, cui examine-  
rite peracto primi honores in facultate, vt dici solet, confe-  
runtur.

SCHOL. Scholasticorum definitio olim his erat concepta verbis: *Est per-  
sona habens dignitatem bachelandi baculum promovibilis in Magistrum.*  
Id quod ex Liminae Iur. publ. L. 8. c. 8. n. 16. discimus. Quae tamen de-  
finitio, quin ad illos tantum applicari possit, qui primos in philosophia  
honores sunt adepti, eam nostram facere non possumus. In omnibus  
enim facultatibus baccalaureatum insimum honorum gradum *esse*, in-  
fra pluribus docebitur.

### §. IV.

Vocem baccalaurei si spectamus, statim apparet, quod  
nullus probatae latinitatis auctor illa sit usus, sed quod potius  
barbarie debatur. Incertum vero hodiendum est, quanam in  
regione haec vox ciuitatem acceperit. Et profecto, si vñquam  
vox datur, quae multas scribendi rationes induit, de hac prae-  
senti illud iure meritoque affirmare possumus: Mox enim Bac-  
calaureus et Baccalarius, mox Bucellarius, mox Bacularius et Ba-  
tualius, Bachellarius, Batallarius, mox Bachelor, et Bas Cheualier,  
mox Baccellarius, et Vassalarius scribitur, pro diuerso scilicet hu-  
ius vocis etymo. Sic Alciatus T. II. opp. de verb. signif. p. 110.

et

et L. VIII. Parerg. c. 10. vocis huius originem dicit a *Bacca lauri*, existimans, coronam ex lauri foliis seu baccis contextam baccalaureis olim fuisse impositam. Cuiacius L. II. de feud. tit. 7. p. 657. hanc vocem a *Bucellariis* esse deriuandam autumat, qui fuere milites custodes seu protectores corpore, quorum officium erat, ut patronis suis semper adfisterent. Matth. Martini in Lexico philol. sub h. v. ortum eius tribuit vocibus germanicis *Baecke leere*. Baecke secundum eum est, Sicambris nucleus et Leere denotat doctrinam; illum igitur esse baccalarium qui nucleus doctrinae iam habeat, et ea solida fundamenta iecerit, ut sibi ipsi magister esse possit, ad litterarum incrementa capienda. Tolosanus in Syntagm. iur. vn. L. VI. c. II. n. 7. et 16. originem eius in lingua turcica quaerit, et quidem in voce *Vassalar*, quod fuit genus hominum, qui propter consilium semper principem sequebantur. Ant. Gosselini in Hist. veter. Gallor. c. 62. a *Vassis* deriuat, ut Baccellarii dicti sint quasi Vassalarii i. e. minores vassi, qui cum famulis iidem erant, teste du Fresne in glossario. Claud. Fauchet de l'origine de Chevaliers C. I. p. 10. existimat, ortam esse a *Bas Chevaliers*, qui militarem ordinem consecuti, sufficienti rerum copia non instructi erant, vel quibus idoneus haud erat Vasallorum numerus, ut vexillum in praeliis educere possent, et vti Galli loqui amant: *qui n'avoient pas encore levé bannière*. Hanc quoque ob causam a scriptoribus adolescentes vocantur duodecimgenti circiter annorum. Hi vocati sunt baccalarii, qui tamen Banerettis dignitate erant inferiores. Du Fresne in glossario in aliam prorsus incidit opinionem, et etymon eius esse putat *baccalarios* illos veteres, qui baccalaria seu praedia rustica tenebant, possidebant, et excolebant. Caef. Bulaeus denique illud a *Bacillo* s. baculo deriuat, tanquam insigni primi huius gradus, in Hist. vniu. Parif. T. II. p. 680.

SCHOL. Eandem cum Alciato amplectuntur sententiam: Funger in Etymol.

Etymol. Middendorpius de academiis L. I. c. 12. p. 121. Christ. Schulze in diff. de baccalaureo Lips. 1678. Sect. I.c.I. thes. 6. Wendelinus in politic. p. 259. Calepinus in diction. p. 153. Caluinus in lexico iurid. p. 107. (a) Tolosano vero affensum praebet Fritschius in supplemento Speideliano p. 498. Claud. Falcati sententiam suam faciunt Seldenus de titulis honor. P. II. c. 3. §. 24. Besoldus in diff. de magistris et baccalaureis c. 6. p. 74. et Linnaeus in iure publico L. VIII. c. 8. n. 20. Caeterum verba Claud. Falcati ita sonant: *Je suis d'avis, que bachelier est un abrégé des bas chevalier: et que les jeunes hommes, qui se sentoient forts pour endurer le faire des armes, du commencement prirent le nom de bacheliers, comme étant plus bas et moins que le hauts et anciens Chevaliers.* Bulaei autem sententiae fauent plurimi v. c. Speelmannus in glossario. Ferrarius in originibus linguae Italicae. Pontanus in progymnasi. Vol. I. n. 83. p. 33. Lud. Viues T. I. opp. p. 32. et de cauf. corrupt. art. L. I. p. 355. Lipsius L. I. Saturnal. c. 15. p. 61. Goclenius in prob. gram. 2. n. 73. Hornius in Hist. philosoph. L. VII. c. 16. p. 77. Georg Casp. Kirchmaier in diff. de titul. honor. ex antiquit. erutorum Viteb. 1667. Theor. 5. Pancirollus de claris legum interpretibus L. III. c. 11. p. 317. et L. II. c. 1. p. 77. Ant. a Wood in Hist. vniu. Oxon. L. I. p. 21. et plures alii, quos hic nomine non libet.

## §. V.

At enim vero si iam dicendum quod res est, fatemur omnino, Alciati sententiam voce baccalaurei quam optime responderem, si modo satis evidentibus testimoniosis demonstrari possit, quod baccalaurei tali corona olim fuerint ornati. Hoc vero quum omni fundamento destituatur; eius in castra transfire non possumus. Cuiacii autem, Martini, Tolosani et Gosselini deriuaciones huius vocis sunt merae allusiones, quas recitasse est refutasse. Du Fresne nobis quoque non arridet in explicacione huius vocis, quia eius etymon etiam omni fundamento caret. Ad Falcati vero opinionem quod attinet ei subscribere ideo nos dubitamus, quia adhuc sub iudice lis est, an in Gallia vel in alia terra hic titulus primum vsu venire ceperit.

Maiori autem iure praeferendam esse existimamus sententiam Bulaei, quod nimirum haec vox a baculo seu bacillo sit deriuanda. Baculi enim exhibitio a Pancirollo L. II. c. I. p. 77. de

de clar. leg. interpr. vocatur *signum auctoritatis docendi*, qui et L. III. c. 11. p. 317. docet baculum olim pro arba doctrinae baccariis fuisse traditum. Imo teste Spelmano in gloss. Prisci moris fuit, possessiones, libertatem, munera et dignitates porrecta hasta vel loco eius baculo seu bacillo conferre. Antequam vero hoc sensu a scriptoribus acciperetur, in re militari significabat equites scutiferos iuniores, qui scutis et baculis militiae tyrocinium ficerent, vti ex Hauteserrio L. II. de comit. c. 8. discimus it. ex Matth. Parisiensi ad an. 1249. qui scribit: *in Hastiludio multi milites regni, qui se volunt bachellarios appellari, sunt contriti.* Hos autem iuuenes baculis inter se dimicasse, testatur Adreualds Floriacensis Monachus L. I. de miraculis S. Benedicti c. 25. qui, *Tandem adiudicatum est, inquit, ut ab utraque parte testes exirent, qui post sacramenti fidem scutis ac baculis decertantes finem controversiae imponeant*, quocum Watius in glossario etiam consentit, affirmans quod iuuenes milites linea tantum armati non gladiis, sed baculis fese mutuo batuerint. A re militari traductum est hoc nomen ad significandum tyrones, tam in qualibet arte, vti patet ex Fauchet de l'origine de Chevaliers c. 1. p. 10. et Rabelais L. IV. c. 5. opp.; quam in re litteraria: et sic denotat candidatum, qui verbis et argumentis pugnat, qui publice disputando specimen eruditionis suae edidit, et ita tanquam cum hoste conflxit. Ceterum constat, veteres philosophos dextra baculum portasse, vti memoriae proditum legimus in Gruteri thes. crit. P. II. p. 501. et in Lipsii not. ad Senec. de constant. Sapient. p. 392. ed. Gronou. Haec ea sunt argumenta, tot testimoniis fide dignis firmata, quae nos permouerunt, vt huic deriuacioni et nostrum calculum adiicere non dubitemus. Nostro enim qualicunque iudicio haec nostra sententia maxima nititur probabilitate. Ceterum et nostram opinionem nonnisi coniecturae loco venditandam esse existimamus.

## §. VI.

Euicta igitur derivatione huius vocis, nostrum iam erit, certum temporis spatium determinare, quo hicce titulus prima incunabula ceperit; vbi duo probe distinguenda esse censemus: Alia enim prorsus est quaestio: quando vox Baccalaureus sit orta, et alia: quando gradus sub voce comprehensus sit ortus. Ad vocem quod attinet, obseruamus, eam iam tempore Caroli M. adeoque saecul. VIII. fuisse vsu receptam, vti Georg. Hornius L. VII. Hist. phil. cap. vlt. et Fr. Iunius de academiis hoc testantur. Non vero sequitur, cum vocis origine ortas quoque esse ipsas dignitates, quae vocibus hodie designantur. Nihil enim impedit, quo minus apud diuersas gentes uno eodemque nomine diuersae tamen res significari queant. Et sic gradus baccalaurei demum saecul. XIII. ortus esse videtur, quippe quo in bene meritos gradus academicos conferre coeperunt veteres. Ante hoc tempus vero gradus hos in vsu fuisse nemo satis idoneis documentis vnuquam probare poterit. Cuinam autem genti prima huius moris origo sit adscribenda, et in quanam facultate primum coepérint conferri hi honores, de eo adhuc auctores inter se contendunt. In Germania vero serius receptos esse hos honores, satis est notum. Hic enim Saecul. XIII. a Carol. IIII, qui academiam Pragae erexit, sunt introducti.

SCHOL. Pluribus vid. hanc sententiam de ortu graduum academicorum apud Conringium in antiqu. acad. diff. 4. p. 135. et suppl. 67. p. 364. Non nulli cum Walthero in libro de statu iuribus ac priuili. doctor. c. 3. statuunt, hos gradus Saec. XII. tempore Lotharii II. esse ortos, quos vero Lindebrogius in prol. in cod. leg. antiqu. aliisque plures refutarunt. Hi enim falsam adoptarunt hypothesis, quam nunquam probari poterunt. De omnibus hisce vberius egit Iterus de grad. acad. c. 4. Quod vero gradus baccalaureatus cum reliquis aut non multo post coepérit, patet ex antiquissimis tabulis et statutis vniuersitatum, quae omnium graduum mentionem faciunt. v. diplomata Urbani V. et VI. vniuersitatij Viennae concessa eius statuta ap. Lambecium in com. de bibl. Caesar. L. II. c. 2. depre-

deprehendimus. Praeterea Glaber Radulphus Cluniacensis Monachus, qui Roberto et Henrico I. regibus floruit, affirmat: Se a quodam daemone, quem adhuc nouitius esset, et sciendi anidus, his verbis incepit: *Meus baccalarius ubi est?* cuius rei veritatem vnicuique expendendam relinquimus.

## §. VII.

Quoniam vero dantur, qui negant hunc gradum baccalaureatus iure meritoque dignitatis nomen tueri posse, nos iam euicturi sumus, quantopere hi a veritatis tramite secedant. Praeter alios hic nominare nobis sufficiat Besoldum, qui in thes. pract. Lit. B. n. 3. p. 71. ita scribit: *Baccalaureatus non est dignitas, sed praeparatio saltim ad dignitatem.* Ast quaequo perpendamus, quaenam ad dignitatem academicam requirantur, ea vero haec sunt: Accurata exploratio studiorum atque profectuum, praeterea quoque publicum testimonium de probatis studiis, ac tandem confirmatio huius testimonii, quae fit per collationem tituli. Quae omnia, quando ad praesentem gradum adipicamus, compertum nobis erit, hoc nomen ei optime competere. Et quid quaequo est, quod amplius dubitemus hac de re? Nonne etiam aliis, qui litteras colunt, preferuntur? Cur promotor hac formula vtitur: *Ego vos creo et creatos renuncio in nomine SS. Trinitatis Amen?* Cur nemo summa in philosophia dignitatem adipisci potest, nisi prius primam sit adeptus? Cur olim tantus numerus virorum illustrium hoc titulo fuit ornatus? Cur in Thuringia Io. Frid. Elect. Saxon. constitutione baccalaurei capaces sunt publicorum munerum? Cur Albertus Bauariae dux magnae sibi gloriae duxit, quod Ingolstadii baccalaureatum fuerat indeptus? v. Georg. Andr. Maier in diss. de iurisdic. part. 3. Herm. Kirch. Vol. 2. Orat. 3. p. 81. Ex his merito colligimus, baccalaureatum omnino esse dignitatem, quicquid demum alii somnient.

SCHOL. i. Quod Lipsiae non fieri possit promotio per saltum, docet die  
B' 2

Sach-

Sächsische Verordnung bey der Vniuers. Leipzig p. 262. Es ist unser Will und Meynung, dass bünfthro keiner aus erheblichen Ursachen niemand aus unser hohen Schulen per saltum promoviret, sondern die Gradus gehalten werden, wie sie einmahl wohl verordnet. et p. 276. Damit so viel immer möglich der ungelobrten Gesellen Promotion verbüttet werden, sollen die Professores der Kunſt, die einem Baccalaureo zu wissen nöthig, zu den examinibus der Baccalauren gebraucht und niemand per saltum promoviret werden.

SCHOL. 2. Olim viri celeberrimi et nobili prosapia clari hunc gradum ambire nulli dubitatunt, inter quos eminent Io. Dux Megapolitanus, Hermannus Hassiae princeps, Albertus Dux Bauariae, quorum catalogum vide apud Schulzium in diff. de baccalaureo Schneider in Chron. Lipf. L. VI. p. 305. Wendelinum in polit. p. 306. L. I. p. 265. Lansium de principatu inter prouincias Europ. p. 33.

SCHOL. 3. In Thuringia quid habeant baccalaurei, declarat constitutio Io. Frid. et Io. Wilhelmi Ducum Saxoniae §. Und weil etc. Dass man in diesem Fürstenthum keinem zur Schul- und Kirchen-Dienſt, desgleichen auch zum Stadtschreiber brauchen wird, er habe denn aufs wenigſte gradum baccalaureatus angenommen. vid. Iterus l. c. p. 347.

SCHOL. 4. Inter eos, qui Befoldo contradixerunt eminent lac. Thomasius in progr. inuit. ad renunc. baccal. 1670. et Dau. Schwertner in progr. inuit. ad ren. bacc. 1656. cuius verba digna sunt, quae hic commemo- rentur: *Qui gradum hunc, inquit, ceu nullius usus nulliusque necessitatis verborum contumelii lacerant. et non aſtra ſed rafra, non coelum ſed coenum ſomniant, digni ſunt, vi cum Syluanis Faunis et Cyclopibus ad loca deſerta ablegentur, ne ceu Midae ſocii eiusmodi honoratorum praeficiam ferre, vel ipſorum colloquio intereffe queant.*

## §. VIII.

Ceteroquin, quum Wendelinus L. II. instit. pol. c. 20. th. 15. n. 6. p. 259. affirmare non erubescat: *Germaniam nostram philosophiae tantum habere baccalaureos*: Nos in praesenti ostensuri sumus, hunc gradum in omnibus facultatibus in omnibus fere academiis deprehendi. Ad probandum hocce affer- tum exempli loco sumamus Lipsiam nostram, vbi in Facultate theologica ille ad baccalaureatum adspirare potest, qui summos in philosophia honores est consecutus. Cetera autem requi- sita v. in der Churfürstl. Sächs. Verordnung bey der Universität

Leip-

*Leipzig* p. 269. *Conf. Mundium de comit. Palat.* c. 3. n. 268. p. 127. A iuris baccalaureo cognitio institutionum et regulorum generalium requiritur, vti ex *Churfürstl. Sächs. Verordnung* l. c. discimus v. Schulzii diss. de baccalaureo c. 2. Walther de statu iuribus ac priuil. doctor. §. 150. p. 431. Hos eosdem fuisse, quos Iustinianus proem. Dig. §. 5. *Lytas* i. e. solutores appellauit, nonnulli eruditorum autumant, quia scil. quadriennio peracto iuris nodos soluere inciperent. v. Alciat. L. VIII. parerg. c. 10. Förster in *Hist. iur. Rom.* L. II. c. 3. n. 5. Pancirolius L. II. de clar. leg. interpr. c. I. p. 77. De Baccalaureis Medicinae v. *Mundium* l. c. p. 127. et die *Sächsische Verordnung* p. 271. In Facultate tandem philosophica hunc gradum quoque locum obtinere, docet nos cum experientia die *Sächsische Verordnung* p. 276. de qua re neminem dubitaturum existimo. In aliis quoque academiis eundem morem obtinere, probata proclive foret, nisi ex vnico nostro exemplo satis iam pateret, totam Wendelini assertionem corruere.

**SCHOL. 1.** Baccalaureorum olim Parisiis et Vindobonae erant duo genera: Alii Cursores, alii Formati vocabantur. Cursores, qui et biblii nominantur, sacra biblia explicabant: Formati vero seu sententiarii in Petri Lombardi libros sententiarum praelectionem instituebant. v. *Filefaccum de orig. flat. Facult. Parif.* p. 27. 43. *Conring in antiqu. acad. diss. 4.* p. 136. *Lambecii comment. de bibl. Caesar. Vind.* L. II. c. 5. p. 128. Eos quoque adhuc apud Parisienses dari, testatur *Vernuleius* L. II. *descript. acad. Louan.* c. I. p. 85.

**SCHOL. 2.** In Anglia quoque hic gradus in omnibus obtinet facultatibus, id quod patet ex Bentheims *Engelländischen Kirchen-Staat* p. 478. 492. et Ant. Woods *Hist. vniuersit. Oxon.* L. I. p. 21. qui testatur, illum qui hunc gradum in artibus fuisse adeptus, potiori olim loco habitum esse, quam si in legibus vel medicina: imo vel in theologia baccalaureatum fuisse adeptus.

**SCHOL. 3.** Datur praeterea Lipsiae et baccalaureus Fenerum et Nosocomii, de quo vid. die *Leipziger Schul-Ordnung* e.g. vbi haec verba leguntur: 1) *Er muss den Leichen, zu welchen die kleine halbe und Viertelschule erforderlich wird, bewohnen, die Lieder anföhren, und auf die Knaben*

ben acht haben. 2) Auch soll c: die Knaben, welche noch nichts in musiciren gelernt, in denen zu solchen exercitiis deputirten Stunden fleissig unterrichten, 3) Soll er die Knaben in den untersten Classen dahin halten, dass sie den Catechismus Lutheri, Sprüche aus dem Evangelio wohl fassen, articulate und distincte pronunciiren lernen, auch zu einer seinen Art im Schreiben sich gewebnen. 4) Soll er nach verrichteter Schul-Arbeit, die Findel-und Hospital-Kinder in der Got-tesfurcht unterrichten. etc.

### §. IX.

Quibusnam vero baccalaurei gaudeant priuilegiis, nunc quoque nobis erit indagandum. Hic Lipsiae baccalaureus potestatem habet, inferiorem cathedram occupandi, atque promidianarum disputationum praesidis munere fungi. Quumque sub ortum Syrii cathedrae publicae vacent a lectionibus professorum, baccalaureorum facultatis est, horas istas et munia docendi occupare, et meditata domi ex inferiori cathedra auditoribus publice ediscerere. Haec autem priuilegia, pro ratione cuiusvis academiae, inter se differunt, possunt vero ex statutis cuiuslibet vniuersitatis cognosci atque hauriri, quae omnia hic commemorare non vacat.

### §. X.

Iam demum ad id erit accedendum, ut disquiramus, quaenam a baccalaureo requirantur. Vbi obseruamus, hoc esse praecipuum requisitum eius, qui hoc gradu insigniri cupit, ut iuramento confirmet, se esse legitimam sobolem parentum suorum, deinde: se nullibi supremam lauream esse accepturum, quam in ea academia, ubi prima fuerit ornatus. Quod autem Spurii ad hunc gradum non sint admittendi, pluribus edocuit Iterus l. c. p. 233. Quaenam vero aetatis ratio hic sit habenda non est determinatum; Nec etiam appareat, cur certum velimus definire annorum numerum, quum diuersissima sint hominum ingenia, ac maxima sit differentia et doctrinae et institutionis:

Alii

Alii enim ea aetate iam maturescunt, qua vix florere incipiunt alii. Idem quoque dicendum de tempore, quod in addiscenda illa disciplina, in qua lauream ambit candidatus, consumbit, nam et hic nil certi determinari potest.

SCHOL. Olim e contrario Parisiis iurare debebant, quod non sint circa 21. aetatis annum : quod legere vellent lectiones ordinarias in cappa rotunda vel in pallio: quod habere vellent sotulares rostratos nec laqueatos nec fenestratos: quod non vellent induere super tunicale scissum in lateribus: quod nullam disputationem pure theologicam disputare vellent: quod incipere vellent in cappa propria noua et de parfico nigro vel alio meliori panno nigro, non vero in accommodata vel conducta: et quod capucium huius cappae sint sufficienter amplum et longum. Et quae sunt huius generis alia. Risum teneatis Amici! vid. Bulaei Hist. vniu. Paris. T. III. p. 273. Quae vero Vindobonae a baccalaureo requirantur, vid. in Lambecii comment. L. II. c. 5. p. 125. In Anglia per quatuor annos in academiis studiis operam dare debent. Baccalaureus vero theor. quatuordecim, ut ex Bentheims Engelländischen Kirchen-Staat p. 479. clarum est.

### §. XI.

Notari hic meretur: Ante duo haec saecula singulos seorsim creatos fuisse baccalaureos, non multos simul et tunc illum, qui baccalaureos creauerit, haec quatuor peregisse. 1) Candidato sophisma proponebat, 2) quaestionem in medium proferebat, 3) sistebat eum praesentibus dignum, qui baccalaureum nuncupare possent, 4) ipse agebat auditorio gratias Quae baccalaureos creandi ratio obtinuit ad annum 1543 quo, post nouam Illuстр. princ. Elect. Mauritii reformationem, abrogata seorsim singulos promouendi consuetudine, simul vniuersi in publicum ab unoque omnes ornari primitiis honorum coepere. Quam formam sequens aetas sic emendauit, ut latinis graeca, pedestribus verbis carmina miscerentur a Candidatis, proque determinandis quaestionibus amoenum aliquod thema tractari fas esset, ipse vero promotor audientium animos facunda patriter

riter ac docta oratione permulceret, gratiarum denique actio  
Candidato esset fuscipienda.

**SCHOL.** Iac. Thomasius in pr. inuit. ad renunc. baccal. 1667. ait in bibl.  
Facult. philos. esse MStum codice in Alberti de Saxonia Lecturas super  
X. Nicom. continentem: Huic adiectas esse formulas baccalaurealium  
actuum complusculas; Earum hoc aut simile esse initium p. 268. In  
praesenti actu quatuor per ordinem sum facturus: 1) domino baccalaureando sophisma quoddam assignabo ad quod respondebit, 2) quae-  
stionem proponam determinandam, 3) quandam eius collationem an-  
nectam, 4) gratiarum actiones referam. Vbi etiam sequens occur-  
rit gratiarum actio. Quantum ad ultimum, quod est difficillimum, in  
quo teneor referre gratiarum actiones. Refero igitur grates summo  
omnipotenti Deo, matri sua gloriose, totique curiae ciuium superno-  
rum, deinde descendens ad inferiora, refero grates Ven. viro M.  
Io. Breslauero nostrae almae vniuersitatis bene digno Rectori: Dno.  
Decano Facultatis artium, et omnibus aliis Magistris tam absentibus  
quam presentibus, et singulis suppositis, i. e. subditis, offerens me et  
dominum baccalaureum nouellam ad quaeviseorum benelicitam.

## §. XII.

Et haec de baccalaureis dicta sufficient. Antequam vero  
hunc schediasmati finem imponam, TV mihi **VIR CLARISSIME**, compellandus es, ut ea quae minus recte dicta  
**TIBI** videantur, amicitiae, quae mihi **TEcum** intercedit, da-  
re velis. Quod si vero quaedam non attigerim, credas ve-  
lim, mihi non omnia ad manus fuisse documenta, ex quibus  
ista haurire potuerim. Ceterum, si et aliis tota haec tracta-  
tio displiceat, satis mihi est, **TIBI** eam placuisse: De hoc  
vero certe persuasum mihi habeo, eum, quem mihi praefixi fi-  
nem, hocce meltemate me fuisse adsecutum. Sic enim ob-  
seruantiam **TIBI** meam declarare volui,  
debui.

Gb 162 <sup>b</sup>

8

Vol 8





B.I.G.



HENRICI CLEMENTIS DITHMERI  
LVNEBURGENSIS  
DE  
BACCALAVREIS  
COMMENTATIO



LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.  
MDCCXXXVIII.

